

Letter 405: 19 March 1530, Augsburg, Wolfgang Talhauser to Capito

The manuscript of this letter is in Zurich SA E II 358, p. 71.

5 Saludem et gratiam per Christum. Nunquam hactenus licuit per ocium, charissime Capito, tibi vel
unum verbum scribere, quo humanitatis in me tuae me semper memorem esse cognosceres.
Quum enim Argentoratum venissem teque unico saltem verbo Michaelis Cellarii nostri nomine
salutassem, et magna me pro tuo candore, suscepisti humanitate, sed excusabit me negotiorum
10 meorum dura et nescia flecti necessitas. Sed heus frater, mira tibi scribere gestio, sed qua nam
verborum serie commode incipiam, nescio, quum tamen te hoc latere, vel propter admirabile Dei
iudicium conveniat minime, sed audi paucissimis et nobiscum lauda Domini. Accidit istis diebus
XIII scilicet Martii, quum Cellarius noster, a concione sacra quam circiter meridianam horam
semper facere consuevit ad reficiendum hiantem ventriculum consedisset, vixque unam vel
15 alteram insumpsisset offulam, subito enim quidam invasit horror, cepitque per totum corpus
tremere. Post modicum sequuta est febris ardentissima, iacuitque ad noctis medium, frenetico
haud absimilis. Ego vero, quum aliis negotiis distractus in civitate non essem, percepto tamen
casu per nuncium, quem quem Rehlingerus ad me miserat, tota nocte equum fatigane ad eum
festinavi, quem mortuo similem inveni. Sed advertens corporis speciem, perceptas virtute vitali
20 per pulsum arteriarum, cognovi mortis periculum abesse quidem, sed omnem vim morbi ad
cerebrum consciendisse, ibique spiritum animale obnubitalum, laborare noxio fumo, de quo ad
praesens scribere supersedeo. Hoc saltem tibi dicere libet, quam varia scilicet hominum fuere
iudicia de hoc casu. Num rumor per totam civitatem circumferebatur, Michaellem repentina
morte e medio raptum esse. Quidam dicebant eum furore prius exagitatum fuisse. Deficerem, si
25 vel centesimum verbum tibi scribere vellem, quantis interim convitiis pii omnes afficiebantur ab
adversa parte. Sed Dominus interim, qui spes suorum non frustratur, convertit gaudium
impiorum in opprobium, qui enim dicebant, eum ad inferos esse raptum, nunc coguntur audire
omnem infirmitatem esse ablutam, Michaellemque rediisse ab inferis. Parce frater, ego enim tibi
plura scribere non possum, urgente alia necessitate, sed omnia hic nuncius narrabit. Verum
30 quantocius potero per alium tibi scribam plene de omnibus, praecipue tamen in quibus Cellarius
tibi corripendus erit de intempestivis studiis suis, laboreque supra vires. Vale cum Martino
Putzero, quem nomine meo plurimum saluere iube, coniugem tuam similiter. Ex Augusta. 19
Martii anno XXX.

Wolfg. Talhuser medicus